



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno DLIII. ad annum DLXXVII.

Parisiis, 1644

VII. De ordinatione Maximini Constantinopolitani episcopi.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15324

quiescant. Sed nullus eum ex pœnitentia talia dicentem suscepit. Quapropter hactenus damnatus, & in exilium Oasin missus est. Post damnationem autem eius dura Constantinopoli turba contra ecclesiam mota est, diuisusque est populus propter tepidum eius (sicut dictum est) tractatum. Clerici vero communi decreto eum anathematizauerunt.

De ordinatione Maximiani Constantinopolitani episcopi.

C A P V T VII.

His ita prouenientibus, de electione episcopi rursus quæstio exorta est. Multi enim Philippum quærebant presbyterum, qui a beato Ioanne cognomento Chrysostomo diaconus fuerat ordinatus, multaque conscripserat volumina contra imperatorem Iulianum apostamat. Alii vero Proclum presbyterum quærebant, quem ad Cyzicum Sisinnius episcopum ordinauerat. Qui prius quam Cyzicum proficeretur, præcedentes ciues eiusdem ciuitatis, Dalmatium monachum sibimet ordinauerunt episcopum, quoniam Attico præcessori Sisinnii soli hoc præstitum videbatur. Sed proceribus palatii, vt fieret, displicuit, quod quidem postea factum est. Manebat enim Proclus non habens ecclesiam propriam, quitanus in doctrina ecclesiastica Constantinopoli valde florebat. Cumque quatuor transissent menses post Nestorii damnationem, Maximianus ordinatur episcopus, vita quidem monachus, ordine vero presbyter, constans quidem in fide vera, idiota autem sermone, & sub quiete viuere potius eligebat.

De pace Cyrilli & Ioannis.

C A P V T VIII.

POST paululum vero videns imperator Cyrilli & Ioannis permanisse discordiam, intolerabilem iudicabat eorum dissensionem. Et vocans tunc ad se Maximianum episcopum, & alios plurimos Constantinopoli repertos episcopos, quomodo tolleretur ecclesiarum dissensio, cogitabat. At illi dixerunt, quia non aliter hoc fieri posset, nisi prius iretur, & præferretur vnius fidei vinculum, & Joannes Antiochenus episcopus anathematizaret Nestorium,